Corallinoidea marina foraminoſa, et ſpongioſa. Conſtant ex infinitis ramulculis ſicuti Corallinæ, quæ ſimiliter ramuſculis ſuis ita quoque irretita, et implicata obſervantur, excepto, quod horum cauliculi in ſuo exortu, propagatione, et extremitate ſibi ſemper ſint æquales, id eſt, eiuſdem craſſitiei, et hinc inde foraminibus maioribus donentur, totam fibrarum texturam quaſi penetrantibus, quæ foramina ſunt quandoque ſubrotunda, quandoque oblonga, ac ovata, et nonnunquam etiam ſtellata &c. demum ex iis quoque formantur Spongiæ ita figuratæ, ſicut ipſa Corallinoidea prius erant, ſi nimirum mucedine marina tenuiore, et molliore obducantur; prout ex ſequentibus ſpeciebus patebit. Gelöchlete Schwammechte, mit oben, und unten gleich-dicken Stengelein verſehene Meer-Corallen-Mooß.

Corallinoides marinum globoſum, et in baſi magno, lato, ac profundo foramine inſtructum obſcurè flaveſcentis coloris. ex huiuſmodi Corallinoideis fiunt Spongiæ globoſæ.

Corallinoides marinum quaſi planum Barba dictum. ex his Corallinoideis Spongiæ compreſſæ produci ſolent.